

1883

C O D I C E S

1884

in omnibus prodesse ac inseruire &c. Meminit in hac Praef. alterius Rudolpho oblatis Operis, quod recensui Cod. DCXI. ubi et de Autore quaedam subiunxi, aitque praesentem lucubrationunculam se uertere ad linguam germanicam ex latina uoluisse, ut facilius legere omnes possint. Quodsi haec Versio, ut videtur, ab ipsomet profecta sit, en rarum Exemplum hominis Itali lingua Germanica pro aevo suo perfecte potiti. Praefatio data Olomucij 1572. Opus ipsum inchoat: Tenebrarum princeps ille Satana nostrarum animarum salutis hostis perpetuus &c. et oratione continua evincere nititur, Libertatem circa Sacra quidvis sentiendi Legibus tam divinis, quam humanis repugnare; Adversarios autem jam inde a Wiclefo et Hussu sibi proponit. Fol. 52. p. 2. post Petrum a Soto et Card. Hosium ad suum quoque Librum de Ecclesia Dei a concilio malignantium discernenda adpellat, quem, uti et praesentem et continuo mox subsequaturum typis nunquam excusos fuisse putem.

II. fol. 73. succedit promissa Operis Versio inscripta: *Commentarius Wieder die gottlose ordnung vnd constitution das einem ieden on alle Straff nach seinem willen vndt wolgefallen vom glauben zue richten vndt Predigen vergönnet vndt frey seyn soll.* Praefatio omissa est.

CCCCCLXXVII.

Codex chartaceus lat. germ. 629
Sec. XVI. Folior. 136. itidem Rudolpho Imp. oblatus inscribitur: *De uitandis tollendisque haereticorum libris Petri Illicini J. V. Doctoris et Can. Olomucen. libellus latinogermanicus. Anno salutis 1577. Praefatio ad Rudolphum incipit: Quemadmodum in locis editis constructa ac bene munita, uallataeque arces &c. In hac de praesenti foetu: quem libelli supplicis loco ad tuam Maiestatem mittendum existimavi — ut Catholicorum optimorumque Imperatorum, Constantini, Gratiani, Theodosii, Valentiniani, Martiani, Honorij, Friderici, quorum tu principatum tenes, sequaris uestigia, qui haereticorum libros et scripta omnia damnarunt et diligenter perquiri, comburique praeeperunt seuerissimis penis aduersus eos statutis, qui uel occultarent, uel describerent, uel domi conseruarent, uel in sermonibus citarent. In chalcographos et huiusmodi librorum uenditores animaduertendum est, et constituendum, ut nullus ab Episcopis non examinatus liber excudatur: nullus uenalis circumferatur. Liceat etiam Ecclesiae Antistiti ubicunque deprehenderit, auferre: alioqui maior quotidie fiet in sancta religione labes. &c. Atque hoc argumentis omnibus in ipso Libello contendit Autor, in quo et ad Librum suum de discernenda Dei Ecclesia se rursus refert,*

1885

P O L E M I C I

1886

fert, et inter Errorum Magistros etiam *Servetum*, *Blandratam*, *Ochinum* et *Franc. Davidis* commemorat. Nervosa est ad *Rudolphum* Imp. Peroratio.

II. fol. 53. Versio germanica hoc Titulo: *Libellus von den ketzerischen büchern vnnnd Schrifften, dieselben zu vermeiden vnnnd zu verwerffen aus lateynischer sprache verdeutschet vnnnd geschriben Durch den hochgelerten Herrn Petrum Ilicinum beyder Rächten Doctor vnnnd Can. zu Ollomutz. Anno salutis 1577.* En igitur Συμβολην ad Scripta Viri mihi ignotam, dum de eo in *Hist. Typogr. Vien. P. II. p. 481.* commentarer, ubi nec illud mihi succurrit, inferendum Eum procul dubio illustri Stirpi Delciorum (*d'Elce, Ilex*) Senensium, quae in *Hetruria* etiamnum floret.

CCCCLXXVIII.

631

Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 180. 4. complectitur Sermones Sacros de praecipuis Temporum Controversiis a *Gerardo Gemer Trevirensi*, qui *Ernesto Austriae* Archiduci *Rudolphi* Imp. Fratri a. 1595. defuncto a Sacris fuit, e Scriptis et Concionibus, ut in *Praef.* dicitur, *Reuerendissimi Neapolitani Praesulis* in compendium redactos. Praesulem hunc non alium arbitror, quam *Melch. Kleselium Neostadiensis* in *Austria* Sedis primum Administratorem, dein Antistitem, virum in Seculi sui Historia notissimum.

Operam porro suam *Gerardus* dicit *Rudolpho* Imp. gravi Praeloquio, in quo inter alia: *compendiaria via demonstratur primum vera Definitio nostrae coram Deo Iustificationis, fideique iustificantis; tum quae sint istius testimonia καὶ κερτήρια, nempe obedientia fidei et Sacramentorum religiosa usurpatio: circa quae potissimum tota salutis acquirendae doctrina versatur.* Atque haec Concionibus XXXV. absolvuntur, quarum XIV. de *Iustificatione*, II. de *Baptismo*, IV. de *Confirmatione*, IV. de *Poenitentia*, I. de *Eucharistia*, V. de *Liturgia* seu de *Missa*, I. de *Festo Corporis Christi*, cui subiecta Instructio de ratione communicandi sub una vel duplici Specie, IV. de *ordinatoria Manus impositione*; omnes vero Thema ex *Actis Apostolorum* mutuuntur, egregiamque cum linguae Graecae, et sacrae Antiquitatis, tum novarum in Religione diffensionum cognitionem produnt. Quae germanice admixta sunt, procul dubio ad Epitomatores *Gemerum* pertinent, de quo aliud nil compertum habeo.

CCCCLXXIX.

Codex chartaceus lat. germ. 632 Sec. XVI. Folior. 178. 4. eosdem Sermones eadem nitida manu exaratos exhibet, eo solum discrimine, quod hic a *Gemero* inscribantur Domino suo *Ernesto* Archiduci. Lubet e fine Praefationis quaedam adtexere. *Vt ergo*

U u 3

ergo